

album, & rubeum plenè rubeum. Azoth enim & ignis obscuritatem ignis euellunt.

Mortificatio est duritiei à corpore separatio: quia anima tunc est mortua, corpus autem viuum, ratione caliditatis & siccitatis. Omne enim habens calorem habet vitam. Et propter hoc calx Alchimica dicitur habere vitam: quia illorum vitam imperfectam Philosophi studuerunt occidere, & vitam perpetuam reddere.

Reuiuificatio est ratione nutrimenti, scilicet sui humoris perfecti, & humiditatis rectificantis restauratio expeditionis humoris ipsius imperfecti.

EX QVADAM CARTV=
la lacerata.

NVnc manifesto tibi naturali cognitione in hoc proposito meo de lapide omnium Philosophorum & occulto, qui est lapis triplici veste decoratus, lapis diuitiarum, lapis charitatis, & lapis releuacionis ab omni penuria, & lapis curationis ab omni languore. Et in eo continetur omne secretum, & dicitur diuinum mysterium à Deo datum, & in Mundo non est res sublimior post animam rationalem.

Diligenter notare debes: Dixi tibi, quod lapis noster sit ornatus triplici veste: id est, in tres partes diuidendus, in corpus, animam & spiritum. Vnde corpus mortuum, quod anima caruerit, tenebrosum est.

Si vis, fili, ut corpus illud reuiuiscatur, redde sibi animam suam, & statim viuit:

O Magister, non intelligo.

Fili, tibi dico expressius: Vnus lapis, siue vna res tantum: quia corpus in suam naturam est redactum, videlicet, in aquam suam: id est, in primam suam materiam; quia prima materia corporum est aqua vnetuosa, & tunc primum dicitur vna res, cum corporis substantia & aqua vunionis per partes minimas indiuise vniuntur, & lapis Philosophicus ex quo, rami infiniti multiplicantur. Ethoc dicitur Lapis in libris Philosophorum notus. Ideo, fili, ab illo lapide extrahitur aqua sua propria, & in spiritu per modum separationis.

Sublimatio nostra est partium non fixarum eleuatio
à par-